Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant inter-
rogabant eum dicentes. Domine si in tempore hoc restitues regnum
israhel? Dixit autem eis. Non est vestrum nosse tempora vel
momenta que pater posuit in sua potestate. sed accipietis
virtutem supervenientis spiritus sancti in vos. et eritis michi testes in ierusalem.
et in omni iudea et samaria et usque ad ultimum terre. Et cum hec
dixisset videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum
ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem illum: ecce
duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus ~~iuxta illos in ves-~~
~~tibus~~ albis et dixerunt. Viri galylei quid statis aspicientes
in celum. Hic ihesus qui assumptus est a vobis in celum: sic veniet
quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Secundum Marcum.
In illo tempore. Recumbentibus undecim discipulis: apparuit illis ihesus
et exprobravit incredulitatem illorum et duriciam cordis. quia
hiis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis.
Euntes in mundum universum: predicate evangelium omni crea-
ture. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero
non crediderit condempnabitur. Signa autem eos qui crediderint
hec sequentur. In nomine meo demonia eicient: linguis
loquentur novis serpentes tollent. Et si mortiferum quid bibe-
rint non eos nocebit. Super egros manus inponent et
bene habebunt. Et dominus quidem ihesus postquam locutus est eis assump-
tus est in celum. et sedet a dextris dei. Illi autem profecti predicave-
runt ubique: domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus
signis. Feria vi. lectio actuum apostolorum.
In diebus illis. Multitudinis credentium erat cor unum
et anima una. nec quisquam eorum que possidebat aliquid su-
um esse dicebat. sed erant illis omnia communia. Et vir-
tute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis ihesu christi

Evangelium de missione apostolorum secundum marcum. In illo tempore dixit ... Euntes